5

MEDICI ORDINIS
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

DECANVS

PHIL. GEORGIVS SCHROEDER

ARCHIATER REGIVS ET PROF. MED. ORD.

SOLEMNIA INAVGVRALIA

PRAENOBILISSIMI MEDICINAE

CANDIDATI

IOANNIS CHRISTIANI GRIMMANN

OTTERNDORFIO HADELENSIS

INDICIT

Praemiſſa eſt variolarum adulto inſitarum hiſtoria variis obſeruationibus illuſtrata.

GOETTINGAE
EX OFFICINA SCHVLZIANA, curante F. A. ROSENBVSCH
MDCCLXVI.

Operae non plane nullum me facturum eſſe pretium exiſtimaui, ſi aliquas, quae memoratu praeſertim quodammodo digniores videntur, variolarum a me peractae inſitionis hiſtorias, commoda occaſione data, in publicum emitterem, atque adnexis quibusdam obſeruationibus illuſtrarem. Etſi enim vix vllus mihi locus detur, de nouitate ipſius methodi, quam huius in prophylacticae curationis exercitio adhibui, quid praedicandi, ſperare tamen licuit, vt fida illorum, quae proponere animus eſt, inſitionis exemplorum enarratio, vel confirmandae veritati, quae permagni ſemper etiam hac certe in doctrina momenti eſt, inſeruire, vel etiam qualicunque ratione ad perficiendum vlterius hoc artificium, quo in adminiſtrando peritiorum conſilia inter ſe non plane conuenire conſtat, aliquam forte quantulamcunque anſam praebere queat. A meo ſcilicet nunc inſtituto plane alienum erit, vel generalibus iis in argumentis, quae inſitionis laudes tuentur, haetere, vel in dubiorum, quibus vtilitas huius operationis impugnata fuit, vlteriori refutatione operam ſcollocare, niſi quandoque ex his quid attingere ſuaſerit rerum meis in exemplis occurrentium conditio. Non facile quis, arbitror, vel mediocriter ipſo in inſitionis negotio exercitatus dubitauerit, quibusuis illam tractandi methodis commu-

nem

nem iſtam cum aliis humanis rebus indolem eſſe, ut nempe ſuis adhuc defectibus laboret, eamque ad perfectionem, quam ſua natura admitteret, minime iam perducta ſit. Quare, cum nihil magis ad faciendos vlteriores in medicorum arte progreſſus inſeruire ſoleat, quam relatio cuiusque methodi ſucceſſuum accuratior pleniorque, praeter rem fore mihi quidem videri haud potuit, cum & propria ex aliquali experientia meam hoc ad argumentum qualemcunque ſymbolam conferrem. Etſi vero ita nequaquam de illa, quam adhibui, methodo inſitionis, integraeque valetudinis inſitorum curationis conſtituerim, vtne quoque correctiorem quam lubentiſſime amplecterer; ſperare tamen vel ob eos licuit, quos diuina gratia mihi conceſſit, exoptatos inſitionum ſucceſſus, quin &, quae conſilia ceperim, ſua peritiores diſquiſitione, atque mei, quos proprius adhuc vſus defecerit, auditores, quoad e re videbitur, imitatione non plane indigna ſint habituri. Minime quoque praeter meum accidet votum, ſi & illi ipſi, qui naturalium adhuc variolarum pericula in ſe ſuisue metuunt, atque de inſitionis praeſtantia nondum ſatis perſuaſi ſunt, haſce meas de quarundam inſitionum ſucceſſibus relationes ſuos ita in vſus vertant, vt cum ſibi proſpicere velint, aliquam illarum rationem habeant. Quantum enim in exemplis plenius & exactius enarratis, ad animum hisce praeſertim in conſiliis confirmandum, vis inſit ac robur, quisque facile, eodem in tramite mecum decurrens, ſatis ſuperque exploratum habuerit. Primum autem locum ex pluribus memoratu dignioribus hiſtoriis, illas adultorum mereri exiſtimo, qui ſua ſponte & proprio ex praemeditato conſilio inſitionem ſuo in corpore ſuſcipiendam rogarunt. Horum enim longe rariora exempla, ipſis in iis Germanicis regionibus, vbi de reliquo minus metui atque frequentius exerceri haec operatio ſolet, proſtare videntur, quam infantili aut puerili in aetate conſtitutorum, quos parentum potius voluntas ac perſuaſio inſitioni ſubiecit. Maior in adultis, quos contagium ſatis certo nondum corripuit, variolarum naturalium eſſe metus ſolet, vel quod vehementior morbi atrocia, grauiusque periculum, ſi maiorem ille in aetatem inciderit, ex communi fere omnium ſententia vix non ſemper habea-

beatur *a*); vel etiam, quod ipſo tum rerum tum ingenii vſu pollentes, terribiliorem facile de illius morbi indole imaginem animis conceperint. Quodſi autem & grauius adultis periculum quam infantibus vario-

a) Etſi quidem haec non ſolius vulgi ſed omnium fere artis peritorum ſententia ſit, non videtur tamen obſeruatione perpetua confirmari. Sunt qui difficilius in adultis prodire, & elevari exanthemata exiſtimant, quod illorum cutis durior eſſet minusque cederet humorum impetui, verum huic theoriae experientia in omnibus quos ego vidi, neque iis valde paucis, certiſſime contraria fuit; ſiquidem aeque cito in adultis ac in infantibus prodire variolas, aeque bene illas eleuari, pus concipere & exſiccari deprehenderim, etiamſi frigidiuſculum regimen & antiphlogiſtica diaeta quam ſollicitiſſime obſervata, nullaque plane pharmaca, ad promouendam eruptionem paſſim laudata, exhibita fuerint. Opinantur quoque multi febrem facilius longe nimis vehementem in adultis fieri, ſed neque hoc meae reſpondet obſeruationi. Praetereaque nec ideo, ſi febrem iuſto vehementiorem fieri contigerit, magis metuendae videntur adultorum quam infantum variolae, quod aptior certiorque remediis efficacioribus, quae febrem infringere valeant, in adulta aetate locus ſit quam in infantili. Praeſertim vero & ſaliuatio, adultioribus in morbi varioloſi altero iam & inprimis tertio ſtadio frequentiſſima, pro cauſſa grauioris, cui adultiores expoſiti eſſent, periculi haberi ſolet; quae utpote excretio conſeruatu difficilior ſit, atque dum ſuppreſſa eſt, vel ſponte deſinit, ſuffocationi facile anſam praebeat. Verum etiam perſuaſiſſimum habeo, excretionem ſaliualis humoris, multo quam alias tolerabiliorem fieri, & plerumque ſine magna moleſtia abſolui, ſi primo in morbi ſtadio expurgandis primis viis, quum indicantia id poſtulauerint; corrigendae praeterea ac tollendae, ſi adſit, inflammatoriae ſanguinis diatheſi; dein & arcendae atque abigendae, quae huic morbo, ſub ſtadio ſuppuratorio & exſiccatorio facile accidit, putridae humorum corruptioni, ſollicita ſemper opera adhibeatur. Speciatim praeterea inſigne felicioris naturalium variolarum curationis momentum poſitum eſſe comperi in regimine valde temperato, diaeta antiphlogiſtica & antiſeptica, potus copioſi & ſubacidi uſu, adhibito praeſertim, ubi ex febre & puſtularum multitudine grauior morbus, largiori ſulphuris aut vitrioli acido, nec intermiſſa poſterioribus binis in morbi ſtadiis miti ſed frequentiori alvi purgatione, latoque ſatis prompto & efficaci ſecundum indicantia auxilio, cum forte quid grauiorum inciderit ſymptomatum. His autem exactius obſeruatis, ego quidem adultos prae infantibus ex naturali

variolis ex naturalibus impendere quis dubitauerit, certior tamen metus in illis quam in his noxa *b)*, illisque difficilius plerumque tolerabilis, quae huic morbo fere propria & peculiaris eſt, peſſima & ferociſſima violentia, ipſam inſitionis in adultis praeſertim permagni aeſtimandam praeſtantiam inſigniter extollunt. Quae quippe efficit, vt morbus ſine metu non ſolum exſpectetur, ſed quoque ſine vllo, vel ſaltim longe quam alias mitiori cum incommodo, minimeque probabili cum vitae diſcrimine, aut aliquali ſanitatis labe poſt morbum reliqua, ſuperari ſoleat. Neque enim ſolum haud minus facilem lenemque adultis quam infantibus morbum inſitione excitatum ego quidem hactenus deprehendi *c)*; ſed quoque aliquanto mitiorem illum in adultis ple-

rali hoc morbo periclitari haud exiſtimo; immo potius crederem, illos facilius hiſce, ſub aequali fere morbi vehementia, medentis induſtria ſeruari poſſe, quod animi infantum & puerorum haud raro minus flexiles reperiantur, hisque ſaepius poteſtas ſua exprimenda ſenſa plane deficiat. Memorabile vero, quod communi praeſertim illi ſententiae, ob rigidiorem nempe cutis adultorum compagem variolas difficilius prodire, maxime contrariatur, ſenibus ſcilicet morbum quoque hunc aliquando valde lenem & facilem contingere, prouti ipſe in ſeptuagenaria femina obſeruaui, qualia & exempla proſtant in deſideratiſſimi olim noſtri magni Werlhofii diſqu. de variolis & anthrac. p. 21. in coniunctiſſimi Collegae, cel. io. andr. myrray hiſt. inſit. variol. in Suecia p. 9. Morgagni de cauſ. & ſed. morb. ep. XLIX. n. 38.

b) Pluribus vicibus mihi contigit naturales adultiorum variolas curandas habere, quum aegri, conſpectis eodem morbo laborantibus aliis, magno terrore perculſi, aut ſaltim praeter opinionem poſt protractum aliquamdiu metum infecti fuerunt. In his fere omnibus valde grauis morbus fuit, in pluribus deiectae cum nimiis alui bilioſis fluxibus vires, aut bilis viridis valde & continenter ſurſum turgens, puſtularum facilis gangraenoſa corruptio, vel interſperſae petechiae, maioresue maculae liuidae, & quod in nonnullis ex horum numero peſſimum erat, auerſatio pertinax quoque potus ſubacidi, aliorumque antiſepticorum.

c) Magni certe ponderis eſt, quam celebratiſſimi ob felices minimum 1600 hominum inſitiones nominis Vir, ipſe nempe expertiſſ. ranby hac de re tradidit, aſſertio: *cette methode eſt auſſi ſure pour les adultes que pour les perſonnes d'un age plus tendre; puisque ſur cent à peine y en a-t-il*

pleriſque obſeruaui, quum & manifeſte pauciores in his quam in infantibus, quibus inſitionem hactenus inſtitui, puſtulas erupiſſe viderim. Sed enarranda mihi nunc eſt inſitarum in adulto variolarum

Hiſtoria I.

Poſt cl. & exp. D. D. VON BORSTEL, medicinam Hamburgi nunc praeclara cum laude facientem, qui feliciſſimum inſitionis in ſe peractae ſucceſſum pro argumento inauguralis ſuae diſſertationis elegerat *d*), primus idem ſibi praeſtari officium voluit praeſtantiſſimus iurium hac in Academia ſtudioſus I**, aetat. ann. fere 24. qui ſtudiorum, quem vocant, academicorum curſum paene abſoluerat, ob morum elegantiam atque ſolidiorem doctrinam, ſuis Praeceptoribus aeſtimatus, atque Commilitonibus percarus. Hic, vt variolas ſibi insererem, animo plane intrepido, & rationibus, quas religio in primis ſubminiſtrauerat, & optimorum de inſitione ſcriptorum lectio confirmauerat, hoc ad conſilium permoto, etiam ex illuſtris ſui Parentis conſenſu, rogauit. Acriori cum ingenio, animoque perpetuas ad occupationes propenſo, coniunctum habebat corpus agilius, ſenſilius, quodque nec gracile nec obeſum dici merebatur. Morboſae affectionis a pluribus annis fere nihil perceperat, nec mutabilitatis hypochondriacae quid vnquam in ſe animaduertit. Neque vlla vel plethorica, vel pituitoſa temperie laborabat, nec indiciorum alicuius in ſyſtemate neruoſo debilitatis quid habebat, ita vt nihil, quo tempore inſitioni ſe ſubiecit, quantumuis accurate in valetudinem eius inquirerem, repererim, quod correctionem poſtularet. Viſcerum enim tum abdominalium tum pectoris functiones ita perficiebantur, vt nihil plane vitii in illis abſconditi ſuſpicari vel pertimeſcere liceret. Illud ſaltim, quo pollebat, artuum atque circulationis humorum robur mediocritatem parum excede-

a-t-il un, qui ait le plus petit clou, qui ſoit une ſuite de cette maladie inoculée. V. *Memoire ſur l'inoculation par Mr.* RANBY. (*dans un recueil de quelque pieces intereſſantes ſur l'inocul.* à la Haye 1755. p. 81.)

d) V. Eius Diſſ. *exh. ephemeridem variolarum corpori proprio inſitarum,* meo ſub praeſidio hab. Goettingae 1765.

cedere videbatur. Quare commorationem in muſeo per aliquot hebdomades, antequam inſitio ſuſciperetur, animique a ſtudiis acrioribus remiſſionem, plenariamque a vino, quo & alias moderatiſſime vtebatur, atque praeterea ab animali victu, & ab aromate omni, abſtinentiam ſuaſi. Potum theae ordinariae cum lacte, mane & aliquot poſt meridiem horis, ad aliquot vaſcula hauriendum lubenter permiſi, reliquo tempore aquam ſimplicem, immerſo panis ſecalini nonnihil toſti fruſto, adiectoque vno vel altero citri ſegmento pro potu; atque iuſcula e ſeminibus farinoſis, auena, hordeo, oryza, &c. excorticatis, cum aqua pura, ſale & butyro recente parata, varia etiam vegetabilia, ſine carnium iure bene cocta, horaeosque fructus vel coctos vel crudos, hosque ſaltim bene maturos, pro cibo commendaui. Quumque ad finem vſque morbi leuiſſimi, dein per artem excitati, hac ex diaeta nullam plane exortam debilitatem, nec vllam quoque ad alios magis reficientes cibos auiditatem animaduerterem, eandem ipſam diaetam, donec omnis ſuppuratoriae febris metus tranſierat, continuauit. Etiam ad deprimendos paulo vlterius vires, quae ex hac diaeta haud mutari videbantur, aliquoties mediocrem ſalis cathartici doſin in rhei Tinctura ſolutam, quae ter fere aut quater aluum moveret, exhibui, neque minus bis fere per hebdomadem vt pediluuio vteretur tepido, conſului. De venaeſectione autem inſtituenda dubius aliquamdiu haeſi, verum accuratiſſime quoad poteram ponderatis corporis eius conditionibus omnibus, eam vel vlterius differendam vel plane omittendam exiſtimaui; ſiquidem moderatum quidem circulationis adeſſe robur deprehenderem, nullam tamen hactenus perciperem querelam de affectione aliqua moleſta, quae vel curatiuam vel prophylacticam poſtularet phlebotomiam. Quum ergo vlteriori praeparatione minime opus eſſe crederem *e*), ipſam inſitionem ſuſce-

e) Tutior enim eſſe, & exſpectationi, ſecundum plurimorum obſeruata aeque bene ſaltim, ſi non melius ſatisfacere illa videtur praeparationis ad variolas mitius concipiendas methodus, quae ad praeſentia vnice indicantia accommodatur, quam quae per ſpecificam vnius alteriusue

ſuſcepi, & quidem d. 10. Aug. 1765. vtriusque in brachii iis partibus, quibus tendo inferior deltoidis muſculi adnatus eſt, facta leui inciſione, quae ad dimidiam cutis craſſitudinem nondum penetraſſe videbatur, ad

vsue remedii virtutem in primis obtineri creditur. Liceat primaria breuibus hic recenſere praeparationis meae capita, quae & conſilia illuſtrabunt in aliis exemplis, antequam ad inſitionem acceſſi, pro variis nempe perſonarum conditionibus, diuerſimode capta. Eo nempe reſpiciendum arbitror, vt 1) corporis valetudini, vbi minus integra fuerit, iuſta ſecundum indicantia, ita proſpiciatur, ne quid morboſi, praeſertim in omni viſcerum vaſorum atque neruorum functione reliquum ſit. Fieri quidem poſſe ſatis conſtat, vt bene ſuperetur morbus, etiamſi valetudo infirmior fuerit, maxima tamen cautione opus eſſe non dubito, ne inſitionem minus perfecte valenti facile impertias, niſi cum viſceribus integris perexiguum modo infirmitatis adfuerit, & eius quidem indolis, quod ex morbo inſititio non grauius, non periculoſum fiat, ſed cui potius leuando, tollendoque excitatus arte morbus conferre queat. 2) Quum & integerrima ſanitas tali ratione comparata eſſe poſſit, ſoleatque, vt ob vires circulationis maiores, ob rigidiorem firmarum partium compagem, & ob humorum denſitatem maiorem, febris vndecunque excitata nimis vehemens facile oriatur; omnino quoque conueniet, vbi ita conſtitutos ad variolas praeparare volueris, illos diaeta vegetabili & humectante & ſubacida, corporis & animi quiete, tepidis pediluuiis, ac totius corporis cum tepida ablutione, abſtinentia a calefacientibus quibuscunque, ſic mutare, quo illae nonnihil deprimantur vires, humorumque conditio corrigatur, quibus febris alias nimis adaugeretur. 3) Praeterea quoque nec rarum, in iis etiam ipſis, qui ſaniſſimi apparent, tum ex incidente nonnunquam ſaporis alienatione, ex linguae impuritate, ex capitis haud inſolita grauitate, e ſomni per phantaſmata frequentiori perturbatione, dein & ex aluo minus naturaliter comparata, ex digeſtione ſaepius labefactata, aliquam primarum viarum impuritatem, viſcerumque chylopoieticorum debiliorem functionem colligi poſſe, quae, cum febris qualiscunque ſuperuenerit, eandem facile grauiorem reddant. Ideo vero maximi quoque momenti eſt in ea omnia ante inſitionem exactius inquirere, primisque viis expurgandis, atque iisdem non modo purioribus, ſed etiam viſcerum functionibus integrioribus redditis, hoc in ſtatu conſeruandis ſollicitam adhibere operam. 4) Denique, cum ad ſuperandum fauſtiori cum ſucceſſu morbum, integris atque perfectis criſibus vtique opus ſit, eo omni, quod moleſtis vllis morbi reliquiis, variisque metaſtaſibus anſam

ad longitudinem fere $1\frac{1}{2}$ pollicis; dein cum abſterſo ſanguine ſiccae puraeque apparerent rimae, impoſitis & accurate firmatis filis, quae tunc modo ad manus erant, ab inſitione D. D. de BORSTEL reliquis, ante

anſam praebere queat, euitato: liquet etiam in iis, quos ad inſitionem praeparare volueris, quam ſollicitiſſime parcendum eſſe viribus tum ſyſtematis neruoſi tum circulationis humorum, quae ambae nequaquam ſemper pari gradu incedunt; ita quidem, vt nec vlla praeter rationem purgatio neque illa nimis efficax inſtituatur, neque diaeta tenuior & antiphlogiſtica, corporis quies, balneorum vſus, phlebotomia, vbi haec requirantur, vltra mediocritatis limites vnquam extendantur, neque roborantium praeſidia, vbi vere defecerint vires neceſſariae, negligantur. Eo & redire quisque facile deprehendet conſilia optimorum & variolarum in obſeruatione pariter atque curatione exercitatiſſimorum virorum, quae ab Arabum ad noſtra vſque tempora inclaruerunt, etſi nec in omnibus illorum cuiuis aſſentiri auſim: v. RHAZIS *de variol. & morbill. comment. a* MEADIO *latine redd. Cap. V.* SYDENHAM. *oper. vniv. edit. Lugd.* 1754. *p.* 361. (Qui etſi parum de praeparatione hic tradat, cum reliquis tamen eius obſeruatis propoſita methodus omnino congruere videtur). *Diſſert. hiſtorique ſur l'inoc. à Conſtantinople du D.* TIMONI, *dans le Recueil de pieces concernant l'inoc. à Paris* 1756. *p.* 14. *Methode d'exciter par transplant. la petite verole par* IACQVES PYLARINI, *dans le meme Recueil p.* 37. *n.* 5. *Medici* LE DVC, *Conſtantinopolitani, Diſſ. de Byzantina variolarum inſitione, Lugd. Bat.* 1722. §. 16. 17. *Memoire ſur les preparations neceſſ. à l'inocul. par Mr.* RANBY *dans le recueil cité p.* 228. 229. KIRCKPATRICK *Erläut. der Einpfropfung IX. Abſchnitt. p.* 310. *ſqq.* R. MEAD. *de variol. & morb. edit. Goetting. p.* 69. 70. *L'inoculat. iuſtifiée par Mr.* TISSOT *art. VI. p* 58. DAV. SCHVLZENS *Adhandl. von der Einpfropf. III. Abſchn. in Hamb. Mag. XXVI. B. p.* 44. *ſequ. Reflexions ſur les prejugés qui ſ'oppoſ. aux progrés & à la perfect. de l'inocul. par M.* GATTI *Chap. II. p.* 51. *Von dem Erfolg. der Einpfr. an einigen orten der Schweitz p.* 62. *& alibi paſſim.* Haud opus allegare plures. Quae autem remedia pro ſpecificis inſitioni generatim praemittendis a quibusdam laudata ſunt, ea nimiae maximam partem eſſe videntur efficaciae, quam vt omnibus ſine vlla noxa conuenire queant; ideoque aptius tantum ex aliunde cognita ipſorum virtute iis deſtinantur morboſis affectionibus, quibus corrigendis tollendisque paria ſunt. Eoque inprimis mercurium, aloen, camphoram, gummi vel reſinam guaiaci, Peruuianum corticem, variaque antimonialia referen-

ante ſemeſtre fere ſpatium ab ill. SVLZERO ſereniſſimi Ducis Gothani Medico mihi transmiſſis. Filis hiſce non amplius vſus fuiſſem, ſi recentiora tunc potiri licuiſſet, neque meus amantiſſimus Studioſus ad feſtinandum nimis me compuliſſet, vtpote qui his in feriis autumnalibus varioloſo morbo plane defungi optabat. Neque tamen mihi valde dubium videbatur, quin adhuc ſatis efficaciae iſta fila haberent, quorum pars optimum in D. von BORSTEL effectum praeſtiterat, neque deſint exempla filorum, etiam hiſce vetuſtiorum, haud minus tamen quam recentiſſima efficacium *f*). Exemturus nunc bina poſt nychthemera fila haecce, vulnuſcula iam fere coalita, ipſis tamen fila exacte adhuc adhaerentia animaduerti. Cicatrices nunc de nouo, eademque ratione ſequentibus diebus vnguento miti digeſtiuo filamentis carptis inducto & emplaſtro maturante ſuperdato ſemel quotidie deligandas curaui *g*). Nulla vero per dies quatuordecim inſecuta cicatricum mutatione,

ferenda eſſe fere perſuaſiſſimum habeo. Conferri de his meretur cel. TISSOTI *Lettre à Mr. de* HAEN *en reponſe a ſes queſt. ſur l'inoc. p.* 48. Optimi TRALLES *vexatiſſ. de inſit. variol. argum. p.* 94. Magni HVXHAMI *Diſſ. de variolis*, *Oper. omn. T. II. p.* 126. *ſeqq.*

f) Conf. inter alia SCHVLZENS *Abhandl. von Einpfr. der Pocken, Hamb. Mag. XXVI. B. p.* 63.

g) Methodus haec inſitionem ipſam perficiendi cum illa fere conuenit, quae & aliis plerisque receptiſſima eſt; v. RANBY *Memoire, Recueil de div. pieces à Paris* 1756. *p.* 230. SCHVLZENS *Abhandl. von Einpfr. Hamb. Mag.* 26. *B. p.* 72 82. &c. Leuiſſimam inciſionem ſemper ſufficere poſſe perſuaſiſſimum habeo, ſed vbi filorum ope inſitio peragenda, in rima paulo profundiori, quae aliquam fili partem recipere queat, ipſum filum certius firmatur. A digeſtiuis applicatis nunquam hactenus eam noxam obſeruaui, quam accuratiſſimus Hamburgenſium Inſitor cel. REIMARVS ab illis metuit, v. cl. HENSLERI *Briefe über das Blatterb.* 1. *Th. p.* 166. Suntque mihi experientiae, quas alio in ſchediaſmate enarrare animus eſt, quae innocentiam impoſitorum mollientium & digeſtiuorum ſatis manifeſte comprobant. Non quidem habeo, quod hiſce topicis multum virtutis tribuam in alliciendo puris fluxu, vtpote qui a naturae potiſſimum efficacia pendet; ſed nolim eius generis auxilium omittere, quod non modo nihil plane nocere deprehendo, ſed quod etiam impedire ſicciorem valet vlcuſculorum indolem, ſem-

tione, nec vlla incidente febrili affectione; quum quoque ceteroquin optime adhuc valeret, nouamque inſitionem rogaret vrgeretque, hanc, praemiſſo laxante, ex iisdem, qualia & antea vſurpaueram, parato repetere non dubitaui. Cum filis nempe, quae recenter ab illuſtri Svlzero meo ex variolis inſitiuis parata fuerunt, die XXIV. Sept. altera vice illam inſtitui, eademque plane ratione omnia ſuscipiendo & continuando ac antea. Quum demerentur fila d. XXVI. Sept. illa rimis iterum fere iam coalitis bene inhaeſiſſe, atque has die ſequente plane ſanatas, animaduerti. Nihil plane vllius morboſae affectionis, nihil imminutarum nimis virium, per vniuerſum hoc tempus, donec inſitionis efficacia ſe exſerebat, perſenſit; hosque omnes dies, pro arbitrio & voluptate ſua, vel paucorum in amicorum conſortio, vel cum ſolus eſſet, talia quae profundiorem meditationem haud poſtulabant, legendo tranſigebat, vegetabili ſemper & humectante diaeta vſus, absque vllis vlterius aſſumtis medicamentis praeparantibus, pediluuio ſaltim tepidiſſimo fere bis per temporis hoc ſpatium repetito. Sed nunc die IV. Octobris, decimo nempe die ab altera inſitione, mane pruriebat brachii ſiniſtri cicatrix, & cum illa inſpiceretur, ad ſuperiorem eius extremitatem apparebat puſtula varioloſa; qua efficaciam poſterioris inſitionis indicari, ipſe optimus meus inoculatus non ſine ſummo gaudio percipiebat, animo tranquillo & hilari ad initia ſecuturi morbi attentus In dextri brachii cicatrice nihil mutationis contigit, neque hoc nec ſequentibus diebus; vt ergo haud efficacem hoc in brachio inſitionem fuiſſe, manifeſte apparuerit *b*). Hac veſpera leuiſſimus incidit

ſemper peiorem, quam ſi pus copioſius fluidiusque facile emittatur. Fere ſemper enim obſeruaui plures erumpere variolas, vbi omnis deficit prope inciſionum loca inflammatio, minorque puris copia ex vulneribus aut primis puſtulis ibidem natis effluit. Addo & hoc, mihi videri, quod renouata quotidie ſemel aut bis noua deligatione, moleſta illa & forſitan aliquando noxia ex vnguentis & emplaſtris oriunda irritatio impediatur; quum ſaepius de ingrato, quem in locis inſitionum perciperent ſenſu, ipſos inſitos mane aut veſperi conqueri audiuerim, qui ſtatim, ac renouata deligatio fuit, fere ſemper ceſſauit.

b) Pluribus vicibus in alterutro tantum brachio inſitionis efficaciam animaduer-

cidit capitis dolor, ſomnum tamen proximae noctis non turbans, mane quidem ſequentis diei quodammodo continuans, ſed aſſumto meridie cibo penitus iterum enaneſcens. Augebatur puſtula brachii ſiniſtri hoc & ſequentibus diebus. Iam die V. Octobris, hora poſt merid. III, horror febrilis incidit, duasque per horas cum caloris interni ſenſu intermiſtus continuat, dein huic potiori cedit, pulſus celerior fit & maior, mollis tamen manet. Capitis dolor nunc paulo vehementior incipit. Viribus ſatis integris pollet inſitus meus ad corpus in ſella erectum ſeruandum, ad ambulandum pro neceſſitate, ad enarranda prolixius quae ſentiebat. Medicamentorum nihil exhibitum, potus autem ex hordei perlati tenuiori decocto, cui ſuccus citri & nonnihil ſachari admiſta, etiam largiori copia quam ſitis poſtularet, meo ex conſilio hauriebatur. Calor muſei diu noctuque temperatiſſimus & ad gradus thermom. Fahrenh. 64-68. continenter aequalis conſeruabatur. Lectulus etiam ita parabatur, ne ſtragula internum augere aeſtum poſſent. Inquieta fuit inſecuta nox, parum dormiuit inoculatus, dolore capitis, iactatione corporis, oſcitationibus, pandiculationibus, impeditus. De nauſea etiam, orique inhaerente alieno ſapore hac nocte querebatur. Atque hae quidem oris & ſtomachi moleſtae perceptiones mane diei proximae, VI. nempe Octobr. multum auctae apparebant, vt ſaporem maxime aduerſum & fere intolerabilem, magnam ad vomendum propenſionem & aliquam vertiginem ſibi eſſe declararet. Caloris interni ſenſus dolorque capitis remiſerant, omnisque reliqua optimi huius aegri conditio ex voto plane erat comparata. Linguae tenuis modo & candidus mucus inhaerebat. Ob debilitatis aliquam perceptionem lubentius nunc in lecto permanere, febrisque ſuae finem exſpectare volebat; quod ob mitem febris indolem facillime concedendum exiſtimabam. Dubitare autem nunc haud poteram, quin ſi quis vomitus incideret, inſigne leuamentum ille praeſtiturus ſit. Quum vero idem ad potum ſolum ſponte haud ſequeretur,

aduerti, etſi pari accuratione in vtroque inſitio peracta fuerit; quare non facile vno ſaltim in loco illam ſuſciperem, niſi recentiſſima mihi ſit varioloſa materia.

tur, exhibui hoc mane tartari ſtibiati $\frac{1}{2}$ granum in Tincturae rhei vnciа ſemiſſe ſolutum, cum ſaporem huius tincturae nauſeoſum vomitum celerius excitaturum ſperarem. Hinc breui, vno actu, & ſemel tantum, materiam fere fluidam, parum coloratam, & vt ſuſpicabar, ex minus bene digeſtis, quae heſterna in coena comederat, prunis decorticatis toſtis coctisque, ex parte conſtantem, nihil autem amari, nihilque pituitoſi euomuit; moxque ſe valde leuatum eſſe, ſaporemque non modo aduerſum cum vomendi omni conatu & vertigine plane ceſſaſſe, ſed capitis quoque dolorem & internum calorem, magis imminutos, viresque integriores factas, laetabundus referebat. Neque nunc de mouendo vlteriori vomitu cogitaui, ſublatis illum poſtulantibus conditionibus, quae nec poſtea hoc in aegro redierunt *i*). Neque alio vllo medicamine adhuc opus eſſe cenſui. Regio puſtulam brachii ſiniſtri ambiens ad latitudinem duor. fere digit. nonnihil rubebat, duraque erat, & dolebat, dolore quidem ſuperiorem ad humeri articulationem atque ſub axillam praeſertim ſe extendente; dextro autem humero & ſubalari regione plane integris permanentibus *k*). Meridie noſter ſatis bono cum appetitu pranſus eſt iuſculum ex aqua & pane bis cocto cum butyro recente paratum. Prima poſt meridiem hora vehementior febris exacerbatio incepit, ad plurimam noctis partem perdurans, aeſtu & capitis grauitate ſenſim auctis, ſubſequentibus etiam veſperi & noctu, rariora tamen per interualla, anxietatibus cum reſpiratione difficiliori & pulſu inaequali. Mentis autem ſemper compos manſit, & ad omnia quae ab amicis adſtantibus peragerentur attentus, minimeque triſtis, ſed animo plane tranquillo, meliorem breui futuram valetudinem exſpectabet. De memorato potu lubentiſſime ſaepius bibit. Nocte ſequente, quod mirum, quietior longe fuit quam prae-

i) Quas emeticorum in primo varioloſi morbi ſtadio exhibendorum cautiones neceſſarias iudicem, praeſtantiſſimus expoſuit & clar. Clausthalienſium medicus FRID. LVD. MAY in *Diſſ. de amplitud. generis febrium bilioſ.* meo ſub praeſid. hab. §. X. vbi & hoc ad exemplum inſitiuarum variolarum, cuius in enarratione verſor, prouocauit p. 47.

k) Atque hinc etiam manifeſtius conſtabat, inſitionem in dextro brachio ſuſceptam haud efficacem fuiſſe.

praecedente, & poſt illam mediam ſatis bene dormiuit, ſomno tamen nonnunquam ſponte, ex perceptionibus internis neſcio quibus, interrupto. Proximo mane d. VII. Oct. omnia multo quidem erant mitiora, nondum vlla tamen apparebat puſtula. Febris hodie mitiſſimo cum aeſtu, capitisque dolore perexiguo, fere ſaniſſima reſpiratione, pulſu quidem iuſto celeriori, ſed aequali ſatisque valido, absque noua exacerbatione, per integrum diem ad mediam vſque noctem ſequentem continuauit. Puſtula ſiniſtri brachii paulo latior planiorque fieri coepit, dolorque in parte brachii ſuperiori auctus, attamen non difficulter tolerabilis videbatur, quod non mutata vultus gratia, mihi ſaltem quaerenti ſuum iſtum ſenſum indicaret. Comedit hodie parum, ſed nauſeam nullam percepit. Proxima nocte tranquille & ex voto plane continenter fere dormiuit. Poſt mediam noctem explorato leniter, ne expergiſceretur, pulſu, huius febrilis celeritas plane ceſſaſſe, calorque modo naturalis eſſe obſeruabatur, puſtulis adhuc nondum conſpicuis *l*). Attenderat haecce exercitatior medicinae tunc temporis Candidatus, nunc Med. Doct. F. L. MAY, qui plures per noctes liberali comitate in obſeruandis aegris mihi, ſaepius cum ſingulari aegrorum commodo adiutorem ſe praebuit. Mane die VIII. Octobr. aeger ipſe meus laetiſſimo vultu, vegetis oculis, omni fere alacritate priſtina recuperata, ſuas ipſe, quae nunc prodierant, puſtulas mihi monſtrabat, meamque grato hilarique animo excipiebat ſinceram gratulationem. Tres quatuorue puſtulas in facie, atque hinc & illinc multo ſtudio conquiſitas, vnam & alteram & tertiam in brachiis, pectore, dorſo, cruribus, reperiebamus. Nunc nulla plane febris, dolorque capitis nullus, nunc vires admodum auctae, nunc laetiſſima rerum omnium facies. Surgere quidem & ambulare non difficulter poterat, ſed quum nullus de lecti noxa in mitiſſimo hoc varioloſo morbo metus eſſe poterat, hisque diebus ventoſa & turbulenta tempeſtas ingruiſſet, neque fene-

l) Memorabile per integrum tertium febris diem febrim declinare viſam eſſe, quamuis puſtula nulla apparuerit. Sed veri tamen mihi maxime ſimile apparet, ipſam puſtularum eruptionem tunc temporis iam in hac nocte incepiſſe, quum febris plane ceſſauerat,

feneſtrae ſatis accurate claudi potuerint, in eo facile conuenimus, vt ad voluptatem ſuam, in lecto leuiter tectus & amictus, vel erecto corpore ſederet, vel in puluinari decumbens requieſceret. Dolor circa maiorem puſtulam in ſiniſtro brachio & ſub axilla perceptus nunc penitus euanuit. Etiam cibi appetentia rediit; attamen eadem quam hactenus conſulueram, diaeta ſe adhuc plane contentum profitebatur. Prima hodie vice ab initio febris aluum & naturali plane modo depoſuit *m*). Atque haec dein quotidie ſua ſponte ſecuta eſt. Proxima nocte placidiſſimo ſomno ſe quam maxime recreauit. Nunc autem die IX. Octobr. inſtar ſaniſſimi hilaris, fortiori voce, de quibusuis rebus,

m) Forſitan erunt, qui methodi variolis medendi praeſtantioris periti mirentur, me per tres primi ſtadii dies aluum clauſam reliquiſſe, & fere nihil, quo ſolueretur, ſuſcepiſſe. Verum non arbitror, quem Hippocratica diſciplina imbutum, & ſecundum plurima recentiorum obſeruata huius aegri conditiones perpendentem, me taxaturum fore, quod, cum turgentis materiae deorſum educendae nulla ſignificatio fuerit, nec aluum diebus hiſce ſollicitauerim. Vel euentus ipſe hocce meo in exemplo fauſtiſſimus confirmare poterit ſolidiorem capti conſilii rationem. Grauior quidem ſecundae diei exacerbatio clyſmate molliente leuanda videri poterat; verum cum certe mediocris fuerit moleſtia ſymptomatum capitis & pectoris, venterque minime tenſus apparuerit, & ad diem tertium puſtularum eruptio inſtare tunc videretur, vtpote quae & aliorum ex obſeruatione eo die febris inſitiuarum variolarum ſaepiſſime contingit; vtique magis inepte, mea ſententia, exacerbationem diei ſecundae per clyſma infringere ſuſcepiſſem, quam ſi quis, absque indicante, in homine, cuius viribus omni ſtudio parcendum, ad mitem tertianae febris paroxyſmum leuandum clyſma ſuaderet. Tertio autem die, quum eruptio nondum inſecuta fuerat, multo minor ad aluum meo in aegro ſoluendam adeſſe ratio videbatur. Tam enim bene quam vix optare liceret, ſe tunc habebat, nullamque plane ex aluo tardiori incommodum ſentiebat, praetereaque rem hanc naturae eo facilius relinquere licebat, quod nulla fuerit cauſa pertinaciorem metuendi alui ſuppreſſionem Semperque praeſtare exiſtimo ſi talis aegrorum in primo varioloſi morbi ſtadio ſit conditio, vt indicans omne ſoluendae alui deficiat, quum eo certior tunc ſpes ſit perfectae criſeos cum variolarum eruptione inſequendae, atque ſuppuratoriae febris plane emanſurae; quae quoque ſpes hoc ipſo noſtro in aegro nos haud fefellerat.

bus, ſine omni incommodo cum amicis confabulabatur, neque amplius diurna opus habebat requiete. Leuem aliquando punctionis, tenſionis, ardoris & pruriginis ſenſum, non difficulter tamen tolerabilem, ſub rubra ſiniſtri humeri prope puſtulam primam regione, per intervalla percipiebat. Ipſa autem haec prima puſtula ſuppurationis incipientis indicium ante diem XII. Oct. non exhibebat. Ceterum in corpore reliquo increſcebant more ſuo puſtulae magnitudine & numero, novis, ſed perpaucis tamen, ſenſim prodeuntibus. Die X. Octobris, ſecundi nempe ſtadii tertio, color puſtularum iam palleſcere, halonum vero rubor floridior fieri, incipiebat. Atque nunc fere finito eruptionis ſtadio, vt quam exactiſſime fieri poſſet, numerentur omnes quae adeſſent puſtulae, rogaui, percepique dein repertas eſſe ad ſummum ſexaginta, e quibus 19. vel 20. per faciem diſperſae erant. Nemo certe magnum hunc habebit numerum, qui diſcretas naturales, prout frequentius occurrunt, vbi ne quidem valde denſae cenſentur, numerare inſtituerit. Die XI. Octobr. omnium puſtularum ſuppuratio manifeſtius inchoabat, ſed nonnullae quoque ex benigna reſolutione diſparuerunt, ſine omni noxa. Et continuauit in facie ſuppuratio binos proximos per dies; die enim XIV. Oct. omnes ibidem puſtulae in cruſtas iam erant permutatae. Tribus hiſce diebus nonnihil ſolito plus humoris ſaliualis in os ſibi affluere animaduertebat, quo ad exſpuendum ſtimulabatur; verum ita mitis, ita parua & rara, ita facilis & libera haec erat exſpuitio, vt cum ſaliuatione, quae in naturalibus adultorum variolis frequens eſt, nequaquam conferri potuerit. Die iam XIII. Oct. haec mitiſſima exſpuitio plane ceſſauit, ſine omni relicto incommodo. Serius ergo incepit citiusque abſolutum fuit hoc ſputum, quam naturalibus in variolis plerumque fieri adſolet. Noſtro etiam aegro exigua ſua ſaliuatio nulli plane fuit incommodo, neque impedimento, ſiue loquenti & cum amicis confabulanti, ſiue bibenti & comedenti, ſiue recumbenti ac dormienti, neque vllum, qui in aliis perfrequens eſt, praecedentem vel coniunctum faucium dolorem habuit. Quod vero in primis praeſtantiſſimum confirmabat inſitionis noſtrae ſucceſſum, febris ſecundariae nihil plane vel hoc in ſuppuratorio ſtadio, vel

ſub

ſub exſiccatione inſequebatur. Naturalibus enim hoc tempore ſemper praeditus calore, reſpiratione, appetitu, alacritate animi, corporisque vigore; & nihil dolorum aut moleſtiarum, praeter exiguum modo ex brachii vlcuſculo incommodum, percepit. Quod gratiſſimum quoque nobis erat, ne minima quidem ſuppurationis tempore animaduerti poterat faciei intumeſcentia, nec in manibus pedibusque talis vlla ſucceſſit. Oculi nec inflammati, neque clauſi fuerunt, ſed exoptatiſſimus & amoenus illis vigor permanſit. Diebus XIV-XVI. Octobris exſiccatio puſtularum ex voto abſoluebatur, cruſtis quae ſupererant, ad vſque XVIII. Oct. ſine relicta vllibi exulceratione, ſine vlla vel minima cicatricula excitata, ſponte delabentibus. A die XV. Oct. ad animalem victum redire ſenſim coepit, inſigni cum appetitu. Die XVIII. Oct. leniter purgatus fuit ſalis ſeignette binis drachnis in rhei tincturae aquoſae concentratae vncia ſolutis. Circa XXI. Oct. ex omni parte, niſi quod brachii fonticulus adhuc apertus fuerit, ſanitate integerrima, facieque floridiori etiam ac antea, tribus quatuorue ſaltim maculis diſtincta, praeditus, domo primum exiit, congratulantibus Praeceptoribus, Fautoribus, Amicis.

De maiori autem illa brachii ſiniſtri puſtula, leuique illam ambiente inflammatione nonnihil adhuc memorandum. Album iſta in puſtula colorem non ante d. XII. Oct. qui ſtadii reliquarum ſuppuratorii ſecundus fuit, obſeruare licuit; eademque puris quid fundere coepit d. XIII. Oct. exorta tunc foueola exigua, quae & poſtero die, quum particula ſpongioſae carnis illi inhaerens, mobilisque, vulſella eximeretur, profundior paulo reddita eſt, magis magisque imminutis duritie & rubore ambientibus. A die autem XVIII. Oct. vlcuſculum hoc mundiſſimum noua carne impleri coepit, ſiccis tunc filamentis carptis quotidie nouis tectum, penitus autem prius perſanatum non fuit quam a die II. Nouembr. quo ipſo laxantem iterum potiunculam ſumſit. Nunc ergo, quum perfectiſſima, quae excogitari modo poterat, valetudine frueretur, me iam non habere, quae vlterius conſulerem declaraui, perpetuam ipſi proſperitatem ſinceriſſimo ex animo apprecatus. Quos dein apud nos adhuc degit ſex fere menſes, in

perſi-

perficienda ſua doctrina, ſemper quoque ex voto ſaniſſimus, conſumſit. Praetermittenda autem haud eſt obſeruatio, quod hiſce ex variolis inſitiuis, neque cum infante, neque cum adulto huius ciuitatis vllo, contagium varioloſum communicatum fuerit, quum ab eo tempore, quo inſitio haec peracta fuit ad medium fere annum 1766. neque hic nec in locis vicinis, quoad comperi, naturalibus quis affectus fuit variolis.

Commendandus autem nunc publice eſt

CANDIDATVS PRAENOBILISSIMVS

IOANNES CHRISTIANVS GRIMMANN.

Natales ille ſuos vitamque in literarum ſtudiis actam breuiter hiſce recenſuit:

Natus ſum Otterndorfii, vrbe capitali Hadeliae prope Albim die XVIII. Maii A. R. S. CIↃIↃCCXL, *patre* PETRO HENRICO GRIMMANN *ICto, matre* ELISABETHA REBECCA, *nata* KLEIMANN, *vtrisque proh dolor! ad coelites iam transgreſſis. Vtrique hi parentes dilectiſſimi ſtatim ab incunabulis religionis & humaniorum literarum praeceptis me imbuendum curarunt, ſcholaeque patriae Praeceptoribus me tradiderunt, vbi praeſertim iis literis artibus & ſcientiis imbutus ſum, quibus aditus munitur ad opportunum ſtudiorum academicorum ingreſſum. Sed quo tempore ad hoc ſatis praeparatus iudicarer, crudele bellum in tota fere Europa iam flagrabat, eoque commouebar vt in noſocomio Hannoueranorum militari chirurgicis exercitiis per aliquot annos operam nauauerim. Hoc ipſo autem bello per ſummi Numinis gratiam finito, Muſas Goettingenſes petii, in album ſtudioſorum receptus ab ill.* PÜTTERO, *tunc Georgiae Auguſtae Magnifico Prorectore, ibidemque per tres fere annos addiſcendae medicinae operam dedi. Hic autem ſcholas celeberrimorum inuiſi virorum,* RICHTERI *in pathologia, diaetetica, chirurgia & praeſcriptione formularum,* VOGELII, *in pathologia, pharmacia, materia medica, chemia & praxi medica,* SCHROE-

DERI

DERI *in demonſtrationibus anatomicis, phyſiologia, pathologia, medicina forenſi, therapia ſpeciali & in peculiari collegio de morbis mulierum & infantum; praetereaque in medicis inſtitutionibus ducem habui experientiſſimum* MATTHIAE, *in philoſophia botanica, cel.* MVRRAY, *& in anatomicis quoque demonſtrutionibus & praxi artis abſtetriciae cel.* WRISBERGIVM, *in theoria autem artis obſtetriciae ſecutus ſum cl.* GRAV. *Ceterum quoad philoſophica, mihi praeiuerunt ill.* HOLLMANNVS *in phyſica, celeb.* WEBERVS *in Logica, cl.* BVTSCHANI *in matheſi pura.*

Propoſitas ad quaeſtiones ita reſpondit, vt ad cathedram honoresque ſummos admitti potuerit, & d. IV. Iunii poſt habitam lectionem curſoriam *de vomicis occultis*, me praeſide *de puris absque praegreſſa inflammatione origine* diſputauit, finitoque examine me interprete medicos honores obtinuit. Quos ipſos, & in primis, quod iam aggreſſus eſt ſua in patria medicae artis exercitium, vt in reipublicae ſalutem, & in proprium eius emolumentum cedere ſupremum Numen iubeat, maiorem in modum vouemus & optamus.